



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Modestia exterior.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

dire iussus Sobrietatis constātiam nullæ locupletum, magnatumque, quas cogebatur interdum subire, de suo gradu dimouebant epulæ. Neq; ea tñ siue per ostentationem leuis, siue per tristitiam onerosa conuiuis, sed ab religiosæ comitatis delinimento, cæteræq; vitæ conuenienti, illustriq; tenore venerāda, & amabilis erat. Vultus, conspectus, incessus, gestus, & quicunq; motus ad Christianam humilitatem, & seriæ personæ speciem compositus. Cultus corporis, atq; amictus Evangelico pauperi consentaneus, procul à sordibus, sed multò magis à nitore, neglectior, quam curiosior. Oratio cum maturitate lenis, & sine austerritate grauis. Risus perrarus, isq; grauitate conditus, idemq; non nisi index humanitatis, & caritatis in tempore condimentum. Lingua in qua emendata perfectionē merito statuit S. Iacobus, planè sancta, nescia nugarum, in mediis aulis religiosa, ubiq; cælestia laudum diuinarum mella manans. Candidus, ac liberalis animus: ad innatam bonitatem addita bonę simplicitatis voluntaria cultura, diuinæque ante omnia perfectione gratiæ. Benignus in existimatione, ac prædicacione alienę virtutis. Gregorium quidē Rosephium, & Pau-

*Modestia ex-  
terior.*

*Lingua mode-  
rato.*

*Candidus ani-  
mus.*